

*Domino beatissimo & venerabiliter charissimo fratri & consa-
cerdoti, Fortunato, & qui tecum sunt, fratribus, Augustinus in
Domino S.*

F Aventium bene novit Sanctitas tua, qui Paratianensis saltus con-
ductor fuit. Is, cùm ab eisdem possessionis domino, nescio, quid, ^{Meminit} Posid. in
sibi metueret, ad Hipponeensem confugit ecclesiam, & ibi erat, ut con- ^{Ind.}
fugientes solent, expectans, quomodo per intercessionem nostram sua
negotia terminaret; qui, ut sàpe fit, per dies singulos, minus minusque
sollicitus, & quasi adversario cessante securus, cùm ab amico suo de cœ-
na egredieretur, subito raptus est à Florentino, quodam, ut dicunt, Comi-
tis Officiali, per armatorum manum, quanta eis ad hoc factum sufficere
visa est: Quod cùm mihi nunciatum, & adhuc, quò, vel à quibus raptus
fuerit, ignoraretur, suspicio tamen esset de illo, quem metuens se per
ecclesiam tuebatur; continuò misi ad Tribunum, qui custodiendo litte-
ri constitutus est. Misit militares, nemo potuit reperiri. Sed manc
cognovimus, & in qua domo fuerit, & quod post galli cantum cum il-
lo abscesserit, qui eum tenuerat. Etiam illuc misi, quò dicebatur ab-
ductus: ubi memoratus Officialis inventus, concedere prelbytero,
quem miseram, noluit, ut eum saltim videret. Alio die misi literas, pe-
tens, ut ei concederetur, quod jussit in cauissimis talibus Imperator, id est, ut
Actis municipalibus interrogarentur, qui præcepti fuerint exhiben-
di, utrum velint in ea civitate, sub custodia moderata, triginta dies agere,
ut rem suam ordinent vel præparent sumptus; id utique existimans.
quòd per dies ipsos possemus fortasse cauissam ejus amicā disceptatione
finire: Jam verò cum illo Officiali profectus ductus est: sed metus est,
ne forte ad Consularis perductus Officium, mali aliquid patiatur. Ha-
bet enim cauissam cum homine pecuniosissimo; quamvis Judicis inte-
gritas famâ clarissima prædicetur. Ne quid tamen apud Officium pe-
cunia prævaleat, peto Sanctitatem tuam, domine dilectissime & vene-
rabilis frater, ut honorabili nobisque charissimo Consulari digneris tra-
dere literas meas, & has ei legere; quamvis eandem cauissam insinuate
necessarium non esse arbitratus sum; ut ejus cauissæ differat audienti-
am; quoniam nescio, utrum in ea nocens, an innocens sit; & quòd cir-
ca eundem leges non servatæ sunt, ut sic raparetur, neque, ut ab Impera-
tore præceptum est, ad Acta municipalia perduceretur interrogandus,
utrum beneficium dilationis vellet accipere, non contemnant: ut per
hoc possimus cum ejus adversario rem finire. 882.

EPIST. CCXXXI.

Augustinus ad Generosum, ut cauissam Faventii cognoscat.

Assumpta 3

Domini-